

qui de laicis malefactoribus suis querelam apud iudicem sæcularem deponentes, petunt emendam sibi fieri et provideri, ne contra eos talia de cætero præsumant, protestando expresse quod ad vindictam seu ad pœnam sanguinis agere non intendant, imputari non debet, quamvis alias de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si iudex mortem illis inferat justitia exigente. Nam alioquin, si prælati aut clerici propter metum hujusmodi, quia iudex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conquiri non auderent, daretur plerisque materia seu occasio trucidandi eosdem et illorum bona libere deprædandi.»

Advertendum tamen est quod accusator evadit irregularitatem accusando reum cum suprædicta protestatione solum in causa propria, non autem in causa aliena, cum in cit. cap. *Prælati* 2, in 6. dicatur solum *suis malefactoribus*, ut communiter advertunt doctores. Et etiam evadet irregularitatem in causa propria, licet talis protestatio esset tantum facta externe, et protestans interne desideraret vel intenderet mortem accusati, quia, cum Ecclesia iudicet tantum secundum externa, et apud iudicem ficta protestatio idem valeat ac vera, irregularitatem non contrahit qui fecte protestatur; irregularitas enim non contrahitur nisi in casibus a jure expressis: c. *Is cui*, de Sent. Excomm. in 6.

Accusator etiam sine tali protestatione evadit irregularitatem, si accusat malefactorem coram iudice ecclesiastico, licet de crimine pœnam sanguinis inferente, quia iudex ecclesiasticus non potest procedere ad pœnam sanguinis, et per accidens est si reum deinde tradat iudici sæculari puniendum: cap. final. *Ne clerici vel monachi*; si accusat malefactorem etiam coram iudice laico de crimine levi quod pœnam sanguinis non mereatur, licet postea iudex limites justitiæ excedens reum occidi aut mutilari imperet, quia malitia vel ignorantia iudicis non debet accusatori imputari: arg. cap. *Postulasti* 21, de Homicidio; si accusat de crimine levi, et exinde iudex repertiens accusatum reum aliorum gravium criminum, propter talia condemnet ad mortem, quia accusator per se nullimode intendit pœnam sanguinis, et per accidens est quod tali occasione reperiantur in accusato gravia crimina digna morte ab accusatore prius ignorata, ut advertit inter alios Anaclet. et Pirhing. l. v. dec., tit. 12, n. 110; si accusat malefactorem non de crimine commisso, sed de crimine præviso committendo, sive in proprium, sive in alienum damnum redundaturo, cum alia via impediri non potest quam per accusationem et manifestationem, quia sacri canones solum imponunt irregularitatem propter opus ad quod quis lege naturali et divina tenetur, uti est avertere grave malum a proximo, arg. cap. *Accusasti* 8, de Accusat., ubi expresse dicitur: *Nisi pro pace feceris*: Pirhing. loc. cit., n. 109; Anacletus, Molina, Covarruv., et alii.

Clerici et religiosi non possunt coram iudice laico criminaliter in causa sanguinis

esse accusatores, ex cap. *Sicut Sacerdotes* 2, q. 7; nec testes: cap. *Testimonium* 11, quæst. 1, nisi ad innocentis liberationem, de licentia suorum superiorum; nec iudices: cap. *His a quibus* 23, quæst. 8; nec notarii seu scribæ, capit. *Sententiam*, *Ne clerici vel monachi*, et si hæc præstiterint, non solum irregularitatem incurrunt, sed etiam grave peccatum committunt, cum in re gravi canonum præscripta transgrediantur: arg. cap. *Postulasti* 21, de Homicidio; ad differentiam laicorum, qui hæc præstando incurrunt solum irregularitatem ex defectu lenitatis, et nullum committunt peccatum, cum nullibi ista reperiantur ipsa prohibita, sicuti expresse reperiuntur prohibita clericis et monachis in citatis iuribus, et cap. final. *Ne clerici vel monachi*, et cap. *Postulasti* 21, de Homicidio, et pluribus aliis in locis.

Clerici theologi, et canonistæ, seu confessori non incurrunt irregularitatem, si consulti in genere tantum respondeant, et explicent quid jura statuant de hujusmodi malefactoribus, nil suadendo circa reum in particulari: glossa communiter recepta, in cap. *Ex litteris* 10, de Excessibus prælat., vers. *Consuluit*. Imo confessorius non fit irregularis, etiamsi neget absolutionem iudici nolenti condemnare ad mortem ex officio et secundum leges reos, modo generaliter loquatur, ut puniat secundum leges, quas ipsi potest ostendere ut videat quid juris; arg. cap. *Pessimam* 32, caus. 23, q. 8; Barbosa in cap. *Ex litteris*; Suarez, Layman, Pirhing, loc. cit., n. 98; Reiffenstuel lib. v. Decretal., tit. 12, num. 101 et 102, et alii passim.

In bello manifeste injusto, sive offensivo, sive defensivo, licet pauci occidantur seu mutilentur, vel etiam unus solus occidatur vel mutiletur, evadunt irregulares omnes milites, quamvis non omnes suis manibus occidant seu mutilent, quia omnes ad homicidium seu mutilationem cooperantur, et constituunt unam causam totalem ad eam occisionem vel mutilationem, cum omnes ad invicem se excitent ad illam: arg. cap. *Sicut dignum* 6, § fin. de Homicidio; cap. *Quod in dubiis* 5, de Pœnis, et ibi glossa vers. *incitant*.

In bello autem manifeste justo, sive offensivo, sive defensivo, evadunt irregulares solum occidentes vel mutilantes propriis manibus. Pugnantes autem et neminem occidentes nec mutilantes non fiunt irregulares, licet ab aliis multi occidantur vel mutilentur: cit. cap. *Petitio tua* 24, de Homicidio, et cap. *Si quis* 4, dist. 51, et doctores communiter. Nec etiam evadunt irregulares, si aliquos ipsi vulnerent et perecutiant solum, dummodo non occidant, nec mutilent: cit. cap. *Petitio tua* 24, de Homicidio ubi sacerdoti pugnantem in bello præcipitur solum ob irregularitatem abstinere a celebratione in casu quo ipse propriis manibus aliquem interfecerit, non autem si neminem occidit aut mutilavit, ibi: «Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio

altaris abstineas reverenter, cum sit consultus in hujusmodi dubio abstinere quam temere celebrare.» Ob solam enim vulnerationem et percussione non reperitur in jure imposita ulla irregularitas, adeoque non contrahitur, cum ista non contrahatur, nisi sit in jure expressa: cap. *Is qui* 18, de Sent. Excomm. in 6.

Clerici et laici pugnant in bello justo, et occidentes vel mutilantes inimicos fiunt irregulares, non ex delicto, sicuti pugnant in bello injusto, sed tantum ex defectu lenitatis, quia, sicuti qui juste contra aliquem profert sententiam sanguinis, secuto effectu, irregularitatem incurrunt, arg. cap. *Aliquantos* 1, dist. 51, cap. *Sæpe* 29, et cap. *His* 30, caus. 23, quæst. 8; cap. *Ex litteris* 10, de Excessibus prælator.; cap. *Clericis* 5, et cap. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi*, ita qui militat in bello justo incurrunt irregularitatem, si aliquem occidat vel mutilet: cap. *Si quis viduam* 8, dist. 50, cap. *Aliquantos* 1, dist. 51, et cap. *Petitio tua* 24, de Homicidio. Clerici tamen, si sint in sacris vel beneficiati, peccant mortaliter pugnano in tali bello aggressivo, quamvis justo, cum eis sit absolute prohibitum propriis manibus pugnare in bello offensivo, quamvis justo; cap. *Eos qui* 3, caus. 20, qu. 3. c. *Clerici* 5, et cap. *Quicumque ex clero* 6, caus. 23, q. 8, et cap. *Ex multa* 9, de voto § De Clericis. Vide verb. *Bellum*, art. 5.

Clerici sive laici pugnant in bello justo, etiam mere defensivo contra quoscunque etiam paganos et hæreticos ob necessariam defensionem patriæ, et aliquem occidentes vel mutilantes, sicuti etiam ob necessariam defensionem parentum, filiorum, aliorumque quorumcunque conjunctorum, licet in talibus justis et necessariis casibus non peccent, fiunt tamen irregulares ex defectu lenitatis. Et ratio est quia in Clementina unic. *Si furiosus*, de homicidio irregularitatis incursus evitatur a solo homicida qui necessario tuetur vitam propriam: ergo non evitatur ab homicida qui alienam vitam, etiam patris et matris, aliorumque conjunctorum, et patriam, defendit, licet non peccet: ex cap. *Dilecto* 5, § fin. de Sentent. Excomm. in 6. Nam de jure communi irregularis est quilibet homicida: cap. *Si quis viduam* 8, dist. 50, et doctores communiter. Hodie autem limitatur jus per dictam Clementinam, et in limitatione solum fit mentio de necessario defendente vitam propriam, ibi: «Et idem de illo censemus qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem;» ergo secus in aliis casibus: arg. cap. *Nonne*, de Præsumptione, ut optime Marian. Socin. in cap. *Ad audientiam* 12, de Homicidio, n. 187, et Fagnan. in cap. *Suscipimus* 10, de Homicid., et expresse glossa in d. Clement. verb. *Suum*, quam sequuntur Lap. et Paul., item card. Imola, et Abbas in c. 2, de Vita et Honest. Clericor.; et hanc gloss. dicit communiter receptam Navarr. in Manual., cap. 27, n. 213. Tum quia de pugnantibus etiam in bello justo ad necessariam defensionem patriæ

nabetur expresse in cap. *Petitio tua* 24, de Homicidio, ubi Honorius III sic præcise respondit Pelagio presbytero: «Petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum inimici Dominicæ crucis, ac blasphemi nominis Christiani, castrum quoddam in quo morabaris graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribus tam clericis quam laicis contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quamplurimi exstiterunt. Unde cum pro eo quod aliquos percussisti irregularitatem metuas incurrisse, mandamus quatenus, si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio altaris abstineas reverenter, cum sit consultus in hujusmodi dubio abstinere quam temere celebrare;» ibi glossa, et Barbosa, n. 1; Fagnan. n. 11 et 14, et per tot., et alii canonistæ, Bonacina de Censuris, disp. 7, punct. 4; Petra in Constitut. unic. Gregorii VIII, sect. 1, num. 7, et Rota part. II, recentior., num. 5; et consonat cap. *De his* 36, dist. 50. Et de facto fuit a Sanctissimo concessa facultas nuntio Portugalliæ ut dispensaret cum ecclesiasticis, qui in casu inevitabilis necessitatis infideles seu hæreticos defendendo patriam, occiderunt vel mutilarunt, ut refert Fagn. in cit. cap. *Petitio*, num. 15, ubi advertendo verba *inevitabilis necessitatis* elicit non esse facile dispensandum, si poterat a laicis patria defendi. Et ratio est quia hoc impedimentum irregularitatis inolevit, ut eruatur a ministerio divino ii qui sanguinem humanum profundunt, juxta id quod dixit Dominus Davidi lib. I Paralipomen. xxii, n. 8: *Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo*; et ibidem cap. xviii, num. 3: *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator et sanguinem fuderis*. Ecclesia namque et sui ministri imitari debent lenitatem et mansuetudinem Christi Domini: cap. *Pœna* 2, et cap. *Unum solum* 3: caus. 23, q. 5. Præpositus in cap. *Miror*, dist. 50; div. Thomas, 2-2, q. 40, art. 2, ad secundum. Ex solo itaque facto alioquin meritorio potest quis irregularitatem incurrere, ut de ferentibus ligna pro comburendo hæretico, ut acquirat indulgentias: Speculator tit. de Dispensat. § *Juxta*, vers. *Quid de his*; Joann. Andr. in cap. *Sicut dignum*, de Homicidio; Socin. in cap. *Ad audientiam* n. 279, de Homicid. Et sic etiam iudices, qui administrant justitiam, licet objectum tam bonum intendant et mereantur, tamen fiunt irregulares, si sententiam mortis proferant contra reos: arg. cap. *Aliquantos* 1, dist. 51; cap. *Sæpe* 29, et cap. *His* 30, caus. 23, quæst. 8; cap. *Ex litteris* 10, de Excessibus Prælator.; cap. *Clericis* 5, et cap. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi*. Et per hoc hanc sententiam tenent ultra jam cit. doctor. Farinac., Angelus, Panormitan., Innocent., divus Antonin., Navarr., Majol., Tabiena, Medin., Saler., Henriquez, Pailiarch., Medices, et alii, cum Pignat. tom. VII, consul. 20, n. 4 et 5, qui istam sententiam, nedum communiorem, sed etiam certam censet.

Clerici cum legitima sui superioris facultate bello justo interessentes, tanquam capellani, ut militibus sacramenta ministrant, eisque in morte assistant, non peccant: cap. *Ex multa*, § de Clericis. Imo neque ipsi, neque alii clerici irregularitatem incurrunt, si in tali bello justo milites adhortentur ad strenue pugnandum, ut colligitur ex cap. *Petitio tua*, de Homicidio, et cap. *Hortatu* 33, quæst. 8. In bello autem manifeste injusto clerici exhortantes milites ad pugnandum, evadunt irregulares: cap. *Sicut* 6, § fin. de Homicidio, et cap. *Quod in dubiis* 5, de Pœnis.

Clericus militiæ nomen dans ipso facto privatur beneficio et pensione, ut ex decis. Rotæ Rom., Bened. XIV, Institut. Eccles. 101, § 18.

Quoad hanc irregularitatem, præter hucusque tradita hæc accipe. Clericus in sacris constitutus militans, et arma ferens in servitium alicujus laici principis, si expeditionibus bellicis interfuerit in quibus homicidia, furta, rapinæ, incendia secuta fuerint, multo probabilius est incidisse in irregularitatem, licet moraliter certus sit se neminem mutilasse vel occidisse, ut ex decreto sacr. congreg. in Ipren. irregularitatis erui posse videtur: cit. Inst. 101, § 19.

Idem forte affirmari potest de clerico in minoribus beneficiato, cum ea quæ vetantur ordinatis in sacris etiam beneficiatos clericos comprehendant: ibid., § 23.

Clerici in minoribus si militaverint in bello injusto, etsi ipsi neminem occiderint vel mutilaverint, si tamen ala in qua militant homicidia commiserint seu mutilaverint, inducit in eos clericus irregularitatem; etenim in eo casu clericus facit unum corpus cum sociis, et ulterius dat operam rei illicitæ: ibid., § 8.

Porro si ille militaverit sub suo principe, nec certo sciverit bellum esse injustum, non tenetur per se indagare num justum sit, nec ne, sed poterit credere bellum esse justum. Idem probabiliter dici potest de clerico militante sub alieno principe, quia impossibile esset illi indagare num sit bellum istud justum injustumve: ibid., § 17.

Si vero bellum esset justum, clericus militans, si certus sit moraliter se neminem occidisse vel mutilasse, etiamsi hoc actum fuerit a sociis, non incidit in irregularitatem, ut ex cap. *Petitio*, de Homicid. volunt.: ibid., § 10.

Demum si bellum sit justum et defensivum, si clericus jussus est arma capere, nec sufficiant ad defensionem laici, non incidit in irregularitatem etiamsi occiderit: ibid., § 9.

(12. Irregularitates ex defectu sunt multæ, et assignantur.

Prima est ex defectu animæ, ratione cujus irregulares sunt amentes, lunatici, et furiosi, licet habeant aliquod lucidum intervallum: c. *Maritum* 2, et cap. *Communiter* 3, dist. 33; epileptici, seu laborantes morbo caduco: d. cap. *Maritum*, dist. 33; dæmo-

niaci seu obsessi a dæmone: cap. *Clerici* 3, dist. 33. Omnes tamen isti, si a sua respectiva ægritudine epilepsiæ, amentiæ, et dæmonis vexatione liberati fuerint, possunt susceptos ordines exercere, si constet eos per integrum annum ab ultimo lapsu non amplius fuisse correptos, ut expresse habetur c. *Communiter* 3, dist. 33, præcisus his verbis: « Ut nullus de iis qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursum efferruntur, vel sacris audeant altaribus ministrare, vel indiscusse se ingerant sacramentis divinis, exceptis illis qui corporis incommoditatibus dediti sine hujusmodi passionibus in terram probantur elisi, qui tamen et isti tandiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inveniantur ab incurso dæmonum liberati. » Imo amentes, seu furiosi constantia lucis intervalla habentes, et epileptici, seu morbo caduco laborantes, quamvis nondum perfecte sanati, si raro cadant aut deficient, possunt privatim celebrare cum assistentia unius sacerdotis jejuni, qui missam prosequi possit si alter deficeret, ut colligitur ex cap. *Illud* 15, et cap. *Nihil* 16, caus. 17, q. 1; et tenent Layman lib. 1 Theolog. Moral., tract. 5, cap. 5, par. vii, n. 2, cum aliis ibi citatis; Reiffenst. lib. 1 Decretal., tit. 20, n. 19; La Croix lib. vii, n. 493; Pirhing lib. 1 Decretal., tit. 20, n. 14. et alii.

Ex defectu animæ irregulares sunt etiam illitterati: cap. *Illitteratos*, dist. 36, ubi glossa notat sufficere scientiam mediocrem, Tridentinum autem sess. 23, de Reformat., cap. 4, præscribit ut tonsurandus sciat rudimenta fidei, et legere, et scribere: Promovendus ad minores sciat saltem linguam latinam sic ut latinas sententias in patrium sermonem vertere sciat; ibi cap. 21: Promovendus ad subdiaconatum et diaconatum sit instructus litteris et iis quæ ad exercendos tales ordines pertinent; ibi cap. 13: Promovendus ad presbyteratum habeat scientiam talem, ut possit populum docere quæ necessaria sunt ad salutem, et idoneus sit ad sacramenta debito modo ministranda: ibi cap. 14: Et promovendus ad episcopatum tali sit instructus scientia et doctrina, ut muneris sibi injungendi necessitati possit omnimode satisfacere; et per hoc vult quod sit in universitate studiorum magister, seu doctor, aut licentiatum in sacra theologia vel jure canonico sess. 22, de Reform., cap. 2. *Qui enim ad episcopatum promovendus est gradum, ex c. Omnes psallentes*, dist. 38, tali scientia debet esse ornatus, ut in promptu habeat legere scrutabiliter, et non transitorie tam sacros canones et sacrum Evangelium quam omnem divinam Scripturam. Irregulares etiam sunt ex defectu animæ omnes neophyti, scilicet primo, qui nuper existentes in adulta ætate a paganismo, judaismo, et atheismo convertuntur ad fidem catholicam: ex cap. *Sicut Neophytus*, dist. 48, et cap. *Neophyti*, de Consecrat., dist. 5, ne in superbiam elati, ut dicit Apostolus

I ad Timoth. iii, in laqueum incidant diaboli, et ne fiant magistri, qui nondum didicerunt esse discipuli, ut habetur in cap. *Miserum*, dist. 61, et in c. 1, dist. 48. Secundo, qui cum diu fuerint sæcularibus curis addicti, recenter a sæculari vita promoti ad ecclesiasticam, statim sine mora contendunt ad sacros ordines, et dignitates ecclesiasticas promoveri, isti enim sunt vere irregulares, nec possunt ad ordines et dignitates sic promoveri: ex cap. *Sicut Neophytus*, dist. 48; ex cap. *Qui Ecclesiasticus*, dist. 59; ex cap. *Hoc ad nos*, dist. 60; et ex cap. *Sacerdotali*, dist. 61. Tertio, qui a sæculo recenter conversi sunt ad religionem aliquam, et nondum anno probationis elapso contendunt ad ordines et dignitates promoveri, isti etiam sunt vere pro tali tempore irregulares quoad ordines suscipiendos et dignitates in religione acquirendas, ut expresse habetur in cap. *Monasteriis* 19, quæst. 3.

Secunda ex defectu corporis, ratione cujus irregulares sunt omnes qui ita sunt corpore vitiati, ut absolute non possint peragere ordinis ministeria, vel si aequaliter possunt, non sine aliorum horrore, ut colligitur, ex cap. *Illitteratos*, ibi: *Aut aliqua parte corporis viliatus, vel imminutus*, dist. 36: ex c. *Presbyterum*, et ex cap. *Tua nos*, de Clerico ægotante. Sic irregularis est qui fuit aliqua manu mutilatus: c. *Exposuisti* 6, de corpore vitiatis. Presbyter cui medietas palmæ cum duobus digitis fuit abscissa missam celebrare non permittitur, quia « nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri potest, » ut expresse cavetur cap. *Presbyterum*, de Clerico ægotante. Sic deformiter gibbosus: cap. *Hinc etenim*, vers. *Gibbosus*, dist. 49. Claudus nequies sine pede ligneo vel sine baculo incedere: cap. *Nullus episcopus*, de Consecrat., dist. 1. Oculo orbat, seu cui oculus erutus est, si absque notabili deformitate canonem legere nequeat: cap. *Si Evangelica* 13, dist. 55, et omnes notabiliter impediti aliquo usu membrorum: cit. cap. *Si Evangelica*, et tot. tit. de Corpore viliat. Si autem quis aliquem defectum corporalem habeat qui neque notabilem deformitatem contineat, ita ut scandalum in celebratione non causet neque exercitium celebrationis impediatur, talis non est irregularis. Unde si reipsa alicui erutus esset unus oculus, et alius, v. g., vitreus ita artificiose esset compositus ut vix adverti posset, docet Sylvius part. 1, verb. *Irregularitas*, cas. 1, talem non fore irregularem, quia, quando in jure dicitur quod qui amisit oculum sit irregularis, causa est uti communiter explicant Doctores, quia in hoc est deformitas; ergo si nulla adsit deformitas, non sequeretur inde irregularitas. Sic La Croix lib. vii, numer. 500, et cum aliis Layman lib. 1, tract. 5, part. v, cap. 7, in cujus sumario num. 2, sic præcise dicit: « Unius oculi etiam sinistri privato sine notabili deformitate irregularem non efficit. » Sic qui caret visiva virtute

in oculo sinistro, sive canonis, et tanta pollet virtute in dextro, ut sine deformi faciei conversione possit legere canonem, non est irregularis, et ut commodius possit legere, potest Missale tanto magis ad medium altaris attrahere et sibi approximare: Barbosa de Offic. et Potest. episcop., part. ii, allegat. 42, num. 31; Layman loc. cit., num. 2; Pirhing lib. 1 Decretal., tit. 20, num. 6; Diana part. iv, tract. 2, resolut. 73, et Dicastill. d. 8, num. 173; Navarr. in Manual. cap. 27, num. 199: La Croix loc. cit., cum Molina, Avila, Sa, Suarez, Vasquez, Valentia, Henriquez, Sayr, ab ipso citatis, Bonacina, Filliuc., et alii a Barbosa ubi supra adducti, et plurimis adductis, tenet novissime Pontas in suo Dictionario, tom. II, verb. *Irregularitas*, cas. 12.

Advertendum tamen est quod si defectus corporis absque propria culpa superveniat post susceptos jam ordines, tunc ordinatus non redditur ex toto irregularis, sed solum quoad illum actum ordinis quem ob talem corporis defectum, vel nullo modo, vel saltem non sine aliqua notabili deformitate exercere potest: ex cap. 2, de Clerico ægotante. Si autem talis corporis defectus jam reperitur in laico antequam sit promotus, licet sit duntaxat celebrationem impediens, ut defectus pollicis seu indicis, sacræ hostiæ fractionem impediens, non potest absque dispensatione promoveri ad ordines, etiam minores: ex cap. *Non confidat*, distinct. 50.

Tertia ex defectu lenitatis, ratione cujus sunt irregulares omnes qui directe concurrunt ad mortem aut mutilationem, etiam justam effectu secuto, ut iudices sententiam mortis vel mutilationis pronuntiantes, accusatores sine protestatione, testes ultro-nei et voluntarii, notarii sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, legentes; assessores, consultores, advocati, et omnes ministri justitiæ sententiam exequentes: ex cap. *Aliquantos*, dist. 51, et cap. *Si quis viduam*, dist. 50. Licet enim omnes supradicti nullum committant delictum, cum tamen non perfecte imitentur lenitatem et mansuetudinem Christi, qui noluit pronuntiare dignam morte mulierem in adulterio deprehensam, et pro perfidis Judæis Patrem oravit, ideo merito ab Ecclesia inhabiles declarantur ut in altari immaculatam et incruentam hostiam Deo offerant, et Christi mansuetissimi personam repræsentent, eo vel maxime quod etiam in lege veteri noluit Deus sibi edificari templum a rege Davide eo quod multum sanguinem fudisset, non obstante quod id factum fuerit in bello justo, et David fuerit sanctissimus. *Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti, non poteris edificare domum nomini meo.* (1 Paralipomenon, xxii) — Sed voluit sibi edificari illud a Salomone, viro quietissimo et mansuetissimo: *Filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus.... ipse edificabit domum nomini meo*, ibid., n. 9 et 10.

Quarta ex defectu natalium, ratione cujus irregulares omnes illegitimi, ut filii

naturales, id est nati ex soluto et concubina; manzeres, id est nati ex meretrice; nothi, id est nati ex conjugato et soluta, et spurii id est nati ex copula a jure civili damnata, ut ex incestu, stupro, raptu et sacrilegio: cap. *Per venerabilem*, qui filii sint legitimi; cap. 1, et Final. de filiis presbyterorum; cap. *Innotuit*, de Election. et ex concil. Trident. sess. 22, de Reform., cap. 2, sess. 23, c. 3. Illegitimi tamen qui per subsequens matrimonium legitimantur, non sunt irregulares: arg. cap. *Conquestus*, et cap. *Tanta*. Qui filii sint legitimi, quia subsequens matrimonium fictione juris retrahitur ad tempus conceptionis: l. *Divi Constantini* 5, l. *Cum quis* 10 l. *Nuper* 11. Cod. de Naturalibus Liberis. Sicuti etiam non sunt irregulares aliquam religionem intrantes, tunc enim illegitimi possunt ad sacros ordines promoveri, licet non possint ad praelaturas, ut expresse habetur cap. 1, de Filiis presbyterorum, his verbis: « Filiis presbyterorum, ut ceteri ex fornicatione nati, ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes, praelationem vero nullatenus habeant. » Filii expositi reputantur pro illegitimis; in jure enim reputantur illegitimi qui nequeunt parentes suos ostendere, per textum in cap. 1, de Infantibus expositis.

Illegitimi sunt irregulares ex defectu, adeoque ordinum et beneficii incapaces; attamen pro minoribus ordinibus et beneficiis non habentibus annexam animarum curam, potest episcopus cum illis dispensare; non nisi vero Romanus Pontifex in aliis omnibus, ut ex cap. *Is qui*, de Filiis presbyt. in 6. Bened. XIV, de Synodo Diocces. lib. 13, c. 24, § 11. Hinc ad rem notanda sequentia.

Filii illegitimi clericorum consequi non possunt beneficia et pensiones in ecclesiis in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem ecclesiis ministrare; neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum quæ ab eorum parentibus possessa sunt: ex Tridentino sess. 23, cap. 15, de Reform. Sicut et nullæ sunt reciprocae resignationes a parentibus clericis in favorem filiorum suorum factæ, ita ut ipsis filiis minime suffragentur: De Synodo, etc., ibid., § 13. Quia nec filius illegitimus parochi jam defuncti munus confessarii obire potest in ea ecclesia quam pater parochus obtinuit, ut ex verbis congregationis vetantis ne filii in ea ecclesia quoquo modo ministrent, et ex responso sac. congr. habetur, ib., § 14.

Vicissim autem si pater in aliqua ecclesia munus gessit capellani ad nutum amovibilis, potest ejus filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim hoc est beneficium, sed pensio, ut ex responsione sac. congr., ibidem.

Si vere pater dignitatem in ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo missæ semper in eadem celebratæ non potest fieri particeps

emolumentorum quæ sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex respons. sac. cong.: ibid.

Quinta ex defectu sacramenti, scilicet matrimonii: matrimonium enim consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, juxta illud Apostoli ad Ephes. cap. v: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia*. Hæc autem significatio deficit in bigamis, id est in iis qui contrahunt et consummant matrimonium cum pluribus uxoribus, aut cum una vidua, vel corrupta, quia non fit conjunctio unius cum una, eaque virgine, sicut Filius Dei copulavit sibi unicam et immaculatam sponsam Ecclesiam, ab alio non assumptam, ideoque irregularitatem incurunt omnes Bigami: cap. *Ut Bigami*, cap. *Super eo*, de Bigamis; sive sint bigami bigamiæ veræ, id est qui contrahunt et consummant matrimonium cum pluribus uxoribus: cap. *Debitum*, de Bigamis non ordinandis, et cap. ult. dist. 34; sive sint bigami bigamiæ interpretativæ, id est qui contrahunt et consummant cum vidua, vel cum corrupta ab alio; isti enim censentur quadam juris interpretatione habuisse duas uxores, licet vere illas non habuerint: cap. *Maritum*, dist. 33, cap. *Si cujus*, et cap. *Si Laici*, dist. 34; sive sint bigami bigamiæ similitudinaria, id est, qui post votum solemne castitatis emissum in religione approbata, vel post receptionem sacrorum ordinum matrimonium quamvis invalidum contrahunt et consummant: isti enim sunt aliquo modo similes contrahentibus duplex matrimonium, quatenus post matrimonium spirituale cum Christo contractum, ab eo recedentes attemptant matrimonium carnale contrahere et consummare, adeoque bigamiam similitudinariam dicuntur incurrere: cap. *Nuper a nobis* 5, c. *Quosquos*, cap. *Monacho* 27, qu. 1, et cap. ultim. de Bigamis non ordinandis.

Hanc autem irregularitatem non incurrit qui prius cum pluribus fornicatus est, et postea virginem ducit, quia hic non intervenit defectus sacramenti, cum nullum cum illis liberis præcesserit matrimonium significans conjunctionem Christi cum Ecclesia: cap. *Quia circa*, de Bigamis non ordinandis. Nec eam incurrit qui contrahit cum vidua in articulo mortis constituta ad ejus honorem tuendum, cum qua antea rem habuerat, si matrimonio non consummato vidua decesserit, ut declaravit sac. congregatio Concilii in una Burgen. bigamiæ remissa ad Pœnitentiariam 17 Julii 1688. Nec qui ducit feminam prius a se solo corruptam, quia talis non divisit carnem suam in plures, sed adhuc est unicus unice sponsus, sique non patitur defectum Sacramenti: glossa in cap. *Sane* 1, de Clerico conjug., et in cap. *Debitum*, de Bigamis, vers. *Cognita*; S. Th. in 4, dist. 27, qu. 1, art. 1: Abbas de Bigamis, num. 2, et communiter alii plurimi cum Barbosa p. 2, de Offic. et Potest. Episcop., allegat. 49, num. 7.

Sexta ex defectu libertatis, ratione cujus irregulares sunt servi proprie dicti seu

mancipia: cap. *Nullus* 1, cap. *Nulli* 2, cap. de servorum Ordinatione 6, dist. 54, et cap. *Consuluit*, de Servis non ordinandis. Servi ascriptitii, atque originarii ex istis qui certe glebæ seu prædio colendo sunt perpetuo obligati, atque adeo sine consensu dominorum ordinari non possunt: cap. *Generalis*, et cap. *Admittuntur*, dist. 44. Famuli autem illi qui pro annua mercede dominis suis inserviunt, in sensu juris non sunt irregulares, cum non censeantur proprie servi, sed potius habeantur quoad hoc pro vere liberis. Sunt etiam irregulares obligati ad ratiocinia, ut qui generalem aliquam rerum sæcularium administrationem habent vel habuerunt, et exinde principalibus suis ad reddendas rationes sunt obstricti, ut sunt procuratores, rectores, tutores, syndici, officiales, fiscales, curiales publici, et hujusmodi, isti enim ordinari non possunt nisi deposito onere, seu relicto officio, atque reddita ratione: cap. *Curiales*, dist. 53; cap. *Unico*, de Obligatis ad ratiocinia, ubi expresse prohibitionis ratio adducitur his verbis: « Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamabitur. »

Quia tamen clerici possunt esse tutores et curatores suorum Agnatorum: ex cap. *Pervenit*, dist. 86, et etiam administratores rerum ecclesiarum, pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum quæ potissimum indigent ecclesiastico adjutorio, ex cit. cap. *Pervenit*, et cap. 1, caus. 21, quæst. 3, ideo etiam talia munia et officia gerentes, et in his adhuc perseverantes, possunt ad ordines promoveri, ut notat glossa in cap. *Unico*, de obligatis ad ratiocinia.

Septima ex defectu legitimæ ætatis, ratione cujus irregulares sunt omnes qui nondum habent legitimam ætatem ad suspensionem ordinum requisitam; quæ ætas pro receptione cujusque ordinis est novissime, et clare statuta a concilio Trident. sess. 23, de Reformat., cap. 11 et 12. Et hæc irregularitas durat solum quandiu durat talis defectus legitimæ ætatis; completa autem requisita ætate, absque alia dispensatione cessat: arg. cap. ult., de temporib. ordination.

Octava ex defectu bonæ famæ, seu ex infamia; et hæc irregularitas duplici modo contrahitur, scilicet ex infamia cum propria culpa, et ex infamia sine culpa. Irregularitas quæ contrahitur ex infamia cum propria culpa est illa quæ oritur ex delicto enormi et notorio: cap. *Infames* 6, quæst. 1; et de ista satis fuit dictum de irregularitatibus ex delicto n. 6. Irregularitas ex infamia sine culpa, de qua est sermo in præsentibus, est quæ contrahitur ex exercitio artium vel officiorum ex jure infamium, vel alio modo sine culpa, ut sunt histriones, mimi, comædi, filii publicæ meretricis, quamvis conjugatæ, et omnes in scena ludentes, per textum in l. 1 et 2, § ultim., ff. de His qui notantur infamia; aleatores publici, et pro ludo mutantur, per textum in cap. *Inter dilectos*, de Excessibus Prælat.; aurigæ, gladiatores, cursores, citharædi, lyristæ, saltatores, cau-

pones, per ea quæ tradit Clemens V, 1, de Vita et Honest. cler., macellarii, satellites, cloacas emundantes; pelles expurgantes, ut habetur in cit. Clement. 1, de Vita et Honestate clericor., et ibi glossa, omnes istas artes expresse enumerans. Quamvis autem ignominiosas et viles has artes exercentes reputentur infames, ideoque reddantur irregulares, non tamen sunt infames, et irregulares eorum filii, ut habetur ex Anthero Papa in epistola ad episcopos Bæticos præcis his verbis: « In episcoporum negotio prosapiam non agnosco; apostolicus ordo hoc probat, et tot pontificum et episcoporum numerus, qui, vilibus parentibus nati dignissime sacerdotio functi sunt. »

(13. Ad uberiores supradictorum notitiam adduntur hic varii speciales casus a sacris congregationibus resoluti.

(14. Occidens aliquem ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non fit irregularis: Clement. unic. *Si furiosus*, de Homicidio; sac. congr. Conc. in Aquilana 23 Febr. 1715; apud Ursayam, tom. I, part. II, discept. 6, n. 20, et sæpius alibi, ut refert Pignatell. tom. VII, consult. 20, n. 3 et seq., et consult. 80, per tot. (15. Si autem talis occidens excesserit moderamen inculpatæ tutelæ; Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. III, num. 25, cum pluribus ibi allegatis; Passerin. de Election., cap. 27, num. 29; Ursaya, tom. III, part. II, discept. 7, num. 12 et 13, et alii, dicunt quod evadit quidem irregularis, sed dispensari potest ab episcopo, et non indiget dispensatione Pape. Et in tali casu declarare an occidens seu mutilans sic defendendo vitam propriam indigeat dispensatione, potest episcopus, ut sæpius declaravit S. congreg. Episcop., præsertim in Lucerina 1580, in Schenicensi 1587, et in Januensi 23 Maii 1589, apud Pignatell. tom. VII, consult. 80. At consultus videtur petenda in tali casu dispensatio a sac. congr. Concilii, quam de facili solet concedere, uti concessit in Triventina Irregularitatis, 11 Decembr. 1694; in Nuscana Irregularitatis, 11 April. 1710, et sæpius alibi. Non sic autem de facili solet dispensationem concedere quando quis voluntarie alium irrixa occidit, ut ipsam denegavit in Panormitana Irregularitatis, 26 April. 1698; in Veliterna Irregularitatis, 28 Jun. 1704, et sæpe alibi.

(16. Condemnatus ad triremes, licet non remigaverit, quando delictum propter quod damnatus fuit infamiam irrogat, remanet irregularis: sac. congr. Episc. in Mantuana, 20 Decembr. 1619; apud Monacell. tom. II, tit. 13, form. 3, n. 39, et sac. congr. Concil. in Panormitana, 3 Aug. 1715; apud eund. Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. III, n. 140, et apud Ursayam tom. II, part. II, discept. 22, n. 30, et Inst. Crim., lib. IV, t. V, n. 150, ubi citat idem decretum in Panormitana, sed sub dat. 4 Febr. 1702, et in Romana, seu Lavellen., 6 Jul.; apud Ursayam in Miscellaneo 2, litt. T, n. 45. (17. An autem etiam remaneat irregularis quando delictum ob quod damnatus fuit infamiam de jure non irrogat, et ipse non remigavit, Ursaya loc.